



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

28. De Matrimonio quæstio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

Et propterea sumptuosa fuit quorundam determi-
natio dicens absolute, quod absque tali causa papa
non potest. Cum tamen, ut ostendimus, papa absque
causa vlla possit peccando tamen, & cum causa rati-
onabili quacunq; absque peccata, & vtrouique
matrimonium est validum. Romae die 12. Apr. 1505.

TRACTATUS VIGESIMVS OCTAVVS.
De Matrimonio, vnica quaestione contentus.

QVAESTIO VNICA.

*Num matrimonium legitime contractum inter Christianos
per verba de presenti, possit ante carnalem copu-
lam diuina auctoritate Papae absque
religionis ingressu.*

Quaritur, vtrum matrimonium legitime
contractum inter christianos per verba
de presenti, possit ante carnalem copu-
lam diuina auctoritate papae absque re-
ligionis ingressu. Et arguitur quod no.
Primò, ex ipsius natura, quando quocumque est aliqua
res transiens, ad cuius positionem per se ponitur ali-
quid concomitans, impossibile est poni rem illam
transientem, & non poni illud concomitans, quia
quod conuenit alicui per se, conuenit necessario &
inseparabiliter. Sed sacramento matrimonij coniu-
gitur in diuisibilitas & inseparabilitas personarum,
qua fiunt coniuges, quod probatur, quia hoc po-
nitur in diffinitione matrimonij. Ergo si matrimo-
nium positum est actu, & transit, impossibile est quod
rester inseparabilitas. sed nulla dispensatio potest
super impossibile, ergo.

Secundò ex parte institutionis. Matrimonium est
de iure diuino, ut pote institutum à Deo in para-
diso (dicente, crecite, & multiplicamini) secundum
quod est officium naturae, & à Christo, in quod est
sacramentum ecclesiae sicut cetera sacramenta, vn-
de Mat. 20. dicitur. Quos Deus coniunxit, homo non
separet, & ad Eph. 5. sacramentum magnū in chri-
sto & ecclesia. papa autem non potest supra ius di-
uinum, ergo.

Tertiò ex parte ipsius sacramenti, Non minoris
efficaciae est sanctificatio veri sacramenti sanctifica-
tione consecrationis ecclesiasticae. Sed res consecra-
ta, puta calix non potest dispensatione papae desine-
re esse consecratus, quandiu est calix, ergo vir & mu-
lier sanctificati coniuges ipso sacramento matrimo-
nii, non possunt quandiu viuunt desinere esse con-
iuges. Et confirmatur quia sicut papa non potest fa-
cere, quod hostia semel consecrata desinat esse conse-
crata, ita non potest facere, quod vinculum matrimo-
nii semel contractum desinat esse inter personas, in-
ter quas est contractum.

Quartò ex parte talis sacramenti, Matrimonium
in quantum sacramentum significat coniunctionem
spiritualē Christi & ecclesiae, ut patet per magistrū
sent. in 4. dist. 26. Sed coniunctio spiritualis inter
Christum & ecclesiam est inseparabilis, quoniam scri-
ptum est Mat. vlti. Ecce ego uobiscum sum omnibus
diebus usque ad consummationem seculi. Ergo ma-
trimonium in quantum sacramentum, est insepara-
bile. Et confirmatur haec ratio auctoritate San. Tho.
in 4. dist. 33. q. 2. art. 1. ad tertium, dicentis, quod matri-
monium ex quo institutum est ut sit sacramentum,
est indispensabile, nisi forte à Deo. Et confirmatur,
quia tria sunt bona matrimonij fides, & proles &
sacramentum, id est indiuisibilitas.

A Quintò ex auctoritate. Quia ista videtur comu-
nis sententia Theologorum.

In oppositum est auctoritas Canonistarū, ut pa-
tet in c. ex publico. de conuersione coniugatorum.

In hac dubitatione intendo Theologaliter veri-
tatem inquirere & concludere praecipue secundum
doctrinam S. Thom. vnde tria agenda sunt. Primò
ostenditur in quo stat ratio ambiguitatis. Secundò
ipsa ratio tractabitur. Tertio satisfiet oppositis.

Quo ad primum, sciendum est, quod cum matrimo-
nium dupliciter consideretur, scilicet ut est officium
naturae, & ut est sacramentum ecclesiae (si attenda-
mus in omnibus & singulis conditionibus, quas ha-
bet, secundum quod est naturae officium, quaestio haec
clara est, quia constat matrimonium esse dissolubi-
le et post consummationem, ut patet de coniugio
infidelium. Vnde a praesenti disputatione reseranda
sunt quaecumque spectant ad matrimonium, inquan-
tum est naturae officium. Et propterea rationes om-
nes ex institutione in paradiso, & ex traditione mu-
tuae potestatis in corpus propriū, & ex commixtione
carnali, & inseparabilitate his annexa, non conu-
cunt intellectum ad confitendum indispensabil-
tatem, haec enim omnia ad matrimonium, secur-
dum quod est naturae officium, spectant, & de natu-
rae iure sunt, recipere tamen dispensationem in ali-
quo casu patet, & 1. ad Cor. 2. & a S. Tho. in 3. distin-
33. quaest. 2. art. 1. & 2. Si vero consideremus matri-
monium, secundum quod est ecclesiae sacramentum, tunc di-
stinguere oportet singulas eius conditiones. Sunt au-
tem haec quatuor, scilicet sacramentum tantum, res & sa-
cramentum, res tantum significata & contenta, & res
significata & non contenta, ut patet ex 4. sent. sacra-
mentum tantum vocatur actus sensibiles, quibus
contrahitur matrimonium, non absolute (sic enim
spectant ad naturae officium) sed ex diuina institu-
tione signum & causa sunt inuisibilis gratiae. Res &
sacramentum vocatur ipsum vinculum coniugij, non
absolute, (quoniam sic spectat ad naturae officium)
sed ut ex institutione significat aliquid sanctum (pu-
ta coniunctionem spiritualem inter Deum, & ani-
mam) & disponit ad gratiam. Res tamen significata quod
contenta, est gratia gratum faciens, quae in hoc sacra-
mento confertur ad sancte posse uti coniugio. Res
autem significata & non contenta triplex assignat,
scilicet coniunctio spiritualis per charitatem inter
Deum & animam, & coniunctio et per charitatem inter
Christum & ecclesiam, & coniunctio per unionem
personalem inter verbum & humanam naturam,
quae vocatur conformitas in natura Christi ad eccle-
siam. Si igitur ex nullo horum habetur indispensa-
bilis, dissolubile erit: si autem ex his habetur in-
separabilitas, dispensari non potest. Si diligenter
autem inspiciamus, nihil inuenitur in omnibus his
supra ea, quae ad naturae officium spectant, nisi signum
& signatum, & causa & causatum: haec enim tantum
addit sacramenti ratio supra naturae officium. Et ex
parte quidem causae & causati, manifestè patet non
haberi omnimodam inseparabilitatem matrimo-
nii; quoniam nihil in hoc sacramento causatur in-
delebile, cum non imprimat characterem, sed sit
iterabile etiam viuentibus coniugibus, ut patet si
alter religionem profiteatur: gratia quoque hic cau-
sata amitti potest, imò quadoque fit sacramentum
hoc sine gratia, cum scilicet celebratur in peccato
mortali in contrito. ex ratione igitur signi & signa-
ri oportet inseparabilitatem haec esse, si ex sacramen-
ti vi sit, et si quidem sacramentum hoc, primo signi-
ficatum habet inseparabile, oportet inseparabilitatem

C

D

E

tem sequi: si autem primarum eius significatum, non est inseparabile, ipsum quoque separari potest. Notanter autem dixi primo seu primarium eius significatum, quoniam didici à S. Tho. ubi supra, quod contra prima praecepta sacramenti, non admittitur dispensatio, nisi forte à Deo. Prima autem praecepta signi circa primarium significatum constat attendi, sicut vniuersaliter prima praecepta cuiuscunque gradus, vel officij circa principalem illius finem. Ad hoc igitur tota quaestio haec reducitur, ad sacramentum matrimonij significat primo aliquid indissolubile. Et haec de primo.

Quo ad secundum, duos ego in hanc rem inuenio dicendi modos, Magister siquidem sententiam in 4. dist. 20. expressè tenet, quod matrimonium contractum, est signum coniunctionis spiritualis inter Christum & ecclesiam. Et quoniam coniunctionem hanc constat esse inseparabilem, oportet secundum ipsum, & eius sequaces, quod matrimonium ratum etiam non consummatum, sit omnino indissolubile. Hanc opinionem videtur sequi omnes Theologi, qui partem negativam quaestionis tenent, ponentes tertium bonum matrimonij (quod sacramentum dicitur) indissolubilitatem coniugij, & non absolute, sed in quantum signum indissolubilitatis inter Christum & Ecclesiam ponit.

Sed haec opinio salua tantorum virorum reuerentia, falsa videtur, quod dupliciter ostenditur. Primo, si matrimonium contractum ac ratum, sacramentum esset coniunctionis inter Christum & ecclesiam, sequeretur quod maritus relicta ante consummationem matrimonij esset vere bigamus, hoc est falsum: ergo. Probatur sequela, quia ratio bigamiae est defectus sacramenti, quia, si non est vnus vnus, sicut Christus vnus vni tantum vnus est ecclesiae. Hic autem defectus manifestè adest secundo coniugio, si matrimonium ex solo contractu, factum est coniunctionis Christi & ecclesiae. Falsitas consequentis patet ex determinatione ecclesiae, extra de bigamis, capitulo debitum. Et scito, quod sumpta est haec ratio ex illa decretali, & conuincit me, quoniam à destructione consequentis ad destructionem antecedentis est optimus & necessarius processus. Et attestatur eidem ipse Magister sententiam quoniam sicut tenet antecedens, ita etiam affirmavit consequens in 27. dist. 4. Vnde à nobis sicut non sustinetur in conueniente, ita nec in antecedente tenendus est, quin potius ecclesia determinando oppositum consequentis, determinauit oppositum antecedentis, connexa quippe sunt haec. Vnde inaduerterter loqui videntur, qui in materia bigamiae dicunt bigamiam non fieri ante consummationem plurium coniugiorum, & in materia matrimonij dicunt, matrimonium non consummatum factum esse coniunctionis Christi & ecclesiae, haec enim (vt supra ostensum est) habent contradictionem implicitam. Secundo, si matrimonium solo contractu significat coniunctionem inseparabilem inter Christum & ecclesiam, sequeretur quod nec etiam per ingressum religionis naturaliter solueretur, hoc est falsum, ergo. Consequentia probatur, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona. Violatio autem sacramenti coniunctionis inter Christum & ecclesiam malum non est paruum, cum sacrilegium sit. Et fieret per huiusmodi ingressum, quoniam solueretur matrimonium, & consequenter sacrum signum, & consequenter daretur intelligi, quod significatum esset solubile. Falsitas autem consequentis ex eo patet, quod non dispensatiue, sed regulariter licet

cuilibet ante consummatum matrimonium ire ad religionem: imò sicut S. Tho. datur coniugibus duos menses ante consummationem ad hoc, & (vt in c. ex publico. de conuer. coniug. patet) Papa non dispensando, sed sequendo ecclesiam more determinat matrimonium solum per religionis ingressum. Sunt et contra hoc auctoritates, quae infra afferentur.

Alij igitur sequentes determinationem praesallegato c. de bigamis factam, dicunt, quod matrimonij sacramentum, quo ad significationem, non est completum vsque ad carnalem copulam inclusit: ita quod matrimonium contractum significet coniunctionem Dei ad animam per charitatem, consummatum vero coniunctionem Christi ad ecclesiam. Et in quantum prima coniunctio est solubilis, secunda non, ideo matrimonium contractum tantum solum potest, consummatum autem minime: vnde Dominus Matth. 19. non dixit, Quos Deus coniunxit homo non separet, nisi post illa verba, & erunt duo in carne vna. Et Apostolus ad Ephes. 5. non dixit, Hoc sacramentum magnum in Christo, & ecclesia, nisi post illa verba, Et erunt duo in carne vna. Et ideo Leo Papa (vt referunt Magister in 2. dist. 1. & Gratianus 27. q. 2.) ait, Societas nuptialis ita est à principio instituta, vt praeter commixtionem sexuum non habeat Christi, & ecclesiae sacramentum. Haec ille. Vbi clare videtur à tanto doctore, quod

probare laboramus nos S. Tho. quoque in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. q. 2. expressè dicit duo notanda ad propositum. Primum est in ratione ad primum, quod quia matrimonium contractum significat coniunctionem spirituales inter Christum, & animam, & haec est solubilis, ideo religionis ingressus auferit sacramentum. Secundum est in ratione ad tertium, quod quia matrimonium contractum tantum non est perfectum, ideo non habet omnimodam indissolubilitatem. Ex his cum confirmatur omnia dicta. Et colligere potes hanc rationem sic, si matrimonij sacramentum non consummatum esset, indissolubile auctoritate Papae, hoc esset, quia omnimoda indissolubilitas esset de ratione eius, sed hoc est falsum, ergo. Probatur falsitas consequentis, quia aut est de ratione eius, in quantum est officium naturae, aut in quantum est sacramentum, sed neutrum est, vt probauimus.

ergo. Potest quoque idem probari sic, de sacramentis ecclesiae illud tenendum est, quod Rom. ecclesiae tenet, sed Rom. ecclesia dispensat de facto Apostolicis literis super huiusmodi matrimonia contracta, ergo. Minor patet in Martino 5. & Eugen. 4. quorum bullas super hoc refert Archiepiscopus Floren. se vidisse & nostris temporibus pluries hoc factum videri. Non deest et naturalis ratio, quod sit dispensabile. Videmus enim in vniuerso tria genera rerum, quaedam enim sunt necessariae simpliciter, quas impossibile est aliter se habere, vt sunt motus coelestes, & quaedam sunt contingentes simpliciter, vt res voluntariae, & quaedam necessariae non simpliciter, sed vt in pluribus, vt naturalia istorum inferiorum. Et inter haec manifesta est haec differentia, quod necessaria non possunt impediri, contingentes possunt fieri, vt libet. necessaria vero, vt in pluribus possunt quidem impediri, sed raro. Cum autem indissolubilitas sacramenti matrimonij non sit de genere contingentiū (vt patet, quia non potest ad libitum dissolui) nec sit de genere necessariarum simpliciter (quia potest quoniam impediri, vt patet si, alter coniugum ingrediatur religionem) restat, vt sit de genere necessariarum, vt in pluribus. Et vere sic est, essentia namque matrimonij annexam habet in-

diui-

indivisibilitatem possibilem impedire ex concursu alterius causæ. Et hoc dupliciter, vel causæ quasi eiusdem ordinis, & hæc est professio regularis, uel superioris ordinis, & hæc est autoritas apostolica cum causâ aliqua rationabili. Verum autem discordia orta inter coniuges huiusmodi sine spe remedii, sit rationabilis causâ dispensandi, crediderim quod sic, consensu coniugum accedente. Tū in fauorem animarum, ne scilicet in adultera adulescentes ruant, aut permanere quasi cogantur dū separati perpetuò manerent. Tum ad euitanda homicidia, quæ à desperatis cōiugibus facile procurari possunt, præsertim, cum hac de causâ Moyses libellum repudiij permisit. Tum ad bonum pacis restituendum inter eos: sublato hoc uinculo, quod causâ discordiæ est præsertim quia coniugij finis unitas est. hæc de secundo.

Quo ad tertium respondetur ad primam objectionem, & dicitur, quod in definitione matrimonij non ponitur indivisibilitas simpliciter, id est omnino, sed quantum est ex se, id est nisi impediat. Et propterea posito matrimonio, ponitur indivisibilitas personarum sic non omnino, indivisibilitati autem sic non repugnat impediri.

Ad secundum uerò iam patet ex dictis, quod institutio refertur ad sacramentum perfectum in significando, & non inchoatum tantum. Quamuis possit etiam dici, bene, quod Deus non instituit matrimonium indissolubile omnino, sed quantum est ex se, ut dictum est. Et ideo Papa nō dispensat contra institutionem diuinā, sed utitur potestate sua, qua potest impedire aliam causam impedibilem institutam etiam a Deo.

Ad tertium dicitur, quod coniuges non aliter sanctificantur hoc sacramento, quam per gratiam grati facientem, & representationē Christi & animæ per charitatem uñitorum. Vnde cum utrunq; sit separabile, nulla est hic sanctificatio habens effectum perpetuū. Vnde quamuis non possit fieri quod coniuges nō fuerint sanctificati, potest tamen auferri utraque sanctitas ab eis. Et propterea non est simile de eis, & de calice consecrato, a quo non potest consecratio auferri. Nec est propea minoris efficaciam sacramentū quod sacramentale, quā longe maius est facere sanctum formaliter, etsi amitti possit illa sanctitas, quam facere sanctum ministerialiter, & secundum quascunq; alias huiusmodi denominationes. Vnde sacramenta omnia, quia gratiam conferunt, magis sanctificant cæteris consecrationibus, licet non ita diuturnos habeant effectus propter uariam dispositionem subiecti, effectus. n. consecrationum & benedictionū non exigunt nisi constantiam subiecti, gratia autem & significatio ultra substantialē constantiam subiecti, exigunt immutationem uoluntatis, & status, & propterea mutatis his desinunt. Ad confirmationem autem dicitur, quod peccat supponendo id quod probare debet, & quod in dubiū vertitur, hic. n. nihil aliud dubitatur, nisi an vinculum ex sacramento matrimonij contractum semel, sit inseparabile à personis, quæ contraxerunt, & argumentum hoc supponit, quia supponit, quod se habeat ad personas sicut corpus Christi ad species panis semel consecrati, quod constat se habere inseparabiliter. Vnde neganda est similitudo, quia vinculum matrimonij non habet necessariam connexionem cum personis, sicut corpus Christi ad Hostiam, necessaria namque connexio est, que impedit dispensationem.

Ad quartum patet responsio ex dictis, negamus;

A scilicet significari cōiunctionem Christi ad Ecclesiam per contractum matrimonij. Possit quoque dici, quod coniunctio spiritualis Christi ad Ecclesiam potest considerari dupliciter. Primo secundum suam rationem, & sic est solubilis: quia est coniunctio per charitatem uia, Secundo, secundum extrema, inter que est, scilicet Christum & ecclesiam, & sic est insolubilis. Et quia primo modo unio spiritualis consideratur per se, secundo per accidens, ideo potest dici quod unio illa est solubilis, unio autem in cōformitate nature est omnino insolubilis, quoniam est secundum esse diuinum hypostaticum. Hæc responsio licet quo ad solubilitatem sustineri possit, non tamen euadit inconuenientia de uñitate, & propea non est totaliter ei innitendum. Ad confirmationem uerò ex autoritate S. Tho. dicitur, quod loquitur de matrimonio consummato, ut manifestè patet, & ex articulo præcedente in responsione ad secundum conuincitur. Ad alteram autem confirmationem de bono sacramento dicitur, quod proprie & formaliter loquendo, sacramentum quod est tertium bonum matrimonij, inuenitur quidem in matrimonio contracto, sed imperfectè, quia non nisi casualiter, inchoatiuè & impedibiliter, ut patet ex supradictis. In consummato autem inter fideles inuenitur formaliter, completè, & ut necessarium simpliciter, & propterea consummato repugnat dispensatio, ut S. Thom. docuit.

C Ad auctoritates tenentium oppositum nescio quid dicam, nisi quod si diligentius hæc animaduertissent, forte sententiam mutassent. Romæ, die 24. Ianuarij, 1507.

TRACTATUS VIGESIMVS NONVS.

De reddendo debito inter coniuges, altero eorum existente adultero, vnica quaestione contentus.

Q V A E S T I O.

Num vxor teneatur sub peccato mortali abstinere à carnali commercio uiri publici concubinarij.

D Varritur, an vxor teneatur sub peccato mortali abstinere à carnali commercio uiri publici concubinarij. Et ut quod sic, uir teneatur ad abstinendū se ab uxore publicè adultera, ergo e contrario. Antecedens patet in Scriptura, quia patronus est turpitudinis, qui crimen celat uxoris, ut in c. quemadmodum. de iureiurando, dicitur, & in sacris canonibus extra de adult. c. si uir. & 32. q. 1. c. 1. & c. si quis uxorem. & sacris Doct. in 35. dist. 4. sent. Consequencia autem probatur, quia uir & vxor ad paria iudicantur circa fidem, libertatem, & debitum matrimonij.

E In oppositum autem est, quia vxor non teneatur ad correctionem uiri, sicut e contrario, quia uir est caput mulieris ut dicitur primæ ad Corinth. 1.

Ad euidentiā huius sciendū est, quod actus cōiugij, quum sibi se licitus sit, ad hoc quod reddatur illicitus ex alterius crimine, oportet uinculū aliqd nouum in innocētē deriuari ad hoc: ut teneatur abstinere. Crimē autē mariti publici adulteri, quadrupliciter potest considerari, primo in quantum offensiuum vxoris; secundo in quantum emendabile pro bono ipsius mariti; tertio in quantum punibile pro non cōmuni, quarto in quantum quandam mali speciem in cōiugem ducit. Si primo modo sumatur crimen propositum, ipsū quidem uirum in lege coniugij errantem fidem uiolando priuatiu-